

verò priorem negligit culpam ad ulteriora, & graviora patrandam prolabitur, ubi è contra, qui diligentius post culpam per penitentiam maculam deslet, ad ultiores virtutes refurgit; Magdalena Beatissimæ Virginis Christi Matrì omnium virtutum Reginæ meruit, & in Terris, & in Cælis confociari, quia ut cognovit, idest statim, ut cognovit postposita mora, peccata præterita deslere cepit, ut legimus *Lucæ 7.*, eatenus quoque David magister ad conversionem peccatorum effectus est, ut dicat *Psal. 50.*, *docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*, quia neq. correptionem, nec penitentiam neglexit, ut notat *Ambrosius in Apologia David c. 2.* ubi (*Monitus inquit à Natan non neglexit, sed ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, maturitas itaque veniæ profundam Regis fuisse penitentiam declaravit.*

20 Eo magis pernitiōsa est negligentia in defendendis peccatis, quo longior cum vita hominis protrahatur, qua propter *August. relatus in c. nullus expectet d. 7. dicit* (*Nullus expectet, quando iam non possit peccare, sed quoniam multa sunt, quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculosissimum est, & interitui vicinum ad mortem protrahere penitentia remedium, multos enim solet neglecta, & serotina penitentia decipere*; Tum quia ea negligentia studiosa est, quæ non meretur veniam, sed graviore pœna puniendam dixit *Clemens III. in c. Quæsitum de peniten. & remis.*

21 Ubi Eucharistiæ perceptio negligitur, ait *Soter Papa relatus in c. in Cena Domini de consecrat. d. 2.* propriæ vitæ, & sustentationis alimentum negligitur, quæ idem *panis quotidianus à Christo Domino in Oratione Dominica* appellata est, ut discamus, animæ cibum non negligere, qui corporis quotidie alimenta diligentius perquirimus, & sumimus sine mora, qua propter sacris ministris, diligens administratio à *S. Clemente Papa in Epistola 2. ad Jacobum fratrem domini* attentius imponitur, etiam sub comminatione plagarum.

Neque sumentes sacram Synaxim, statim cibum corporalem sumere, sed per statutas horas expectare, monuit idem *Clemens relatus in c. tribus gradibus de consecrat. d. 2.*

22 Est, & alia negligentia culpabilis, factis in moralibus ab *August. damnata, relato in c. de penitent. dist. 6.*, in eo sistens, quod penitens negligat quærere confessarium scien-

tem ligare, & solvere, cavendum est enim, ne cum negligens circa se extiterit, & negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit, cui concordat *Magister sententiarum in 4. dist. 17. relatus in c. Quem penitet dist. prima*, ubi post medium hæc habet (*Quare qui confiteri vult peccata, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & solvere, ne cum negligens circa se extiterit, à Deo pariter negligatur*, nam experientia docet, quod in rebus ad usum corporis, quærunt homines sanæ mentis, semper meliora, quæ quisque pro suo modulo poterit invenire, ad animæ verò salutem non medicum peritiorum, sed quandoque potius ignarum, aut diminutæ prudentiæ, & consilii, ut facilius à gravioribus dissolvantur, sed utinam dissolvantur, quin potius tamquam minus dispositi, peccatum adhuc amantes, solutionis incapaces, novis, & fortioribus vinculis obligentur, vide ergo, & adverte quanta mala sequantur à negligentia, ad quod *Martinus Dolivius disquisit. magic. q. 26. sect. 5. lib. 2. refert*, revelatum, quod Vir nobilissimus diutius in Purgatoriis ignibus negligentia pœnas dederit, dum talentum à Deo receptum in hoc mundo eruditione, & labore non multiplicaverit.

23 Qui in Spiritualibus negligens est, dicitur sedere in tenebris, & in umbra versari, idem *Lucæ 12. dives*, qui videns fructus agrorum uberes, horrea dilatare, dum cogitat, deinde quiescere in otio, spiritualia omnino negligens, audivit sibi pronuntiatum, *Stulte hac nocte repetent à te animam tuam, & ea quæ parasti cujus erunt?* Ubi pro nocte intelligas inscitiam, & cæcitatem in rebus spiritualibus; Virgines fatuæ de quibus *Mathei 25. de nullo alio facinore criminantur*, quam de negligentia, quia non sumpserunt oleum cum lampadibus, idest neglexerunt parare sibi opera misericordiæ, in cuius negligentia pœnam damnationis sustinverunt sententiam, videlicet (*Nescio vos*), & quod notabile est, Virgines fatuæ monitæ à prudentibus, ut irent emere, & iverunt, revertentes non narratur in Evangelio, quod oleum emerint, an inveniunt, ac secum attulerint, quia solita negligere, forsitan labori parcentes, enixius inquirere neglexerunt, quo præsignatur, quod morti proximus discipulus eos elicit actus virtutis, quos sanus neglexerat, ac propterea Chri-

Christus subinfert conclusionem, *vigilate ergo, quia nescitis diem, neque horam.*

24 Ad quæ verba observat *Barradius in Evangelio Mathei c. 25.*, quod Virgines prudentes, antequam dormirent dormitione mortis diligentiores, & operosiores vigilaverant; Operarios verò diligentes, & vigilantes cognoscit Deus, novit Dominus viam iustorum, negligentes ignorat, idest reiicit (*Nescio vos*) *Hyeronimus epist. ad Rusticum Monachum*, ut doceat, quomodo sine crimine vitam degat, negligentiam, & otium prohibet, rationem afferens, *quia in desideriis est omnis otiosus*; deinde refert *Egyptiorum Monasteria hunc morem tenuisse, ut nullum absque operis labore suscipere, non tam propter victus necessitatem, quam propter animæ salutem.*

25 De explicata parabola de Virginitibus prudentibus, & fatuis, aliud quærendum videtur, cum fatuæ fuerint negligentes, ac propterea rejectæ, adhuc dormitio, & somnus potius explicare videatur negligentiam, & tamen tam de prudentibus, quam de fatuis dicitur, *quod dormitaverunt omnes, & dormierunt*, non ergo videtur, quod negligentia fuerit in causa, cur sponfus fatuas non receperit ad Talamum gloriæ, huic difficultati satisfacit *Barad. eod. c. 25. Mathei post autorem operis imperfecti, & post Abulensem*; Primum quod principale figuratum in parabola est olei deficientia, quæ importat negligentiam in operibus claritatis; Secundò quod notanda sint illa duo verba dormitaverunt, & dormierunt, nempe dormitaverunt, correspondet prudentibus, dormierunt correspondet fatuis, & hoc importat discrimen, quod dormire significat somnum interruptum, ita ut quandoque vigilet, sicque somnum breve sit, quod etiam de iustis verificatur, de quibus dicitur *septies in die cadit iustus*, qui etiam quandoque in fervore, & bonis operibus tepescit, & est remissior, ac negligens, at de fatuis verificatur dormierunt, quod importat somnum continuatum, & longum, hoc est negligentiam diuturniorem, quæ est causa damnationis.

26 Christus Dominus *Lucæ 12. Mathei 13.* vigilandum intonuit fidelium animis, quia nesciunt diem, neque horam, ac propterea *Hylerius notat intentam solitudinem suspensæ expectationis exagitat, per vigilantiam, diligentiam suadet, per somnum negligentiam eliminat, & Marci 14. Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.*

27 *Chrysost. homil. 9. in Epist. prima ad Thesal.*, assumpto exemplo funabulorum, omnem negligentiam, & pigritiam redarguit per hæc verba (*componamus nos ipsos undique, & quemadmodum super funem extensum ambulantes non licet, vel parum negligentes esse, nam parum illud magnum illis malum generat, mox enim subverfi deciderent, ac perirent, ita neque nobis pigrescere licet, viam enim incedimus angustam, & utrinque præcipitiis obnoxiam, pedumque simul duorum non capacem; vides qua nobis opus sit diligentia.*

Ad hæc, qui aliis negligit misereri, nec sibi misericordiam expectet, dicente *Jacobo Apostolo in sua Epistola Canonica c. 2.*, *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

28 Obedite præpositis vestris ait *Paulus*, alias negligens, superiorum obtemperare mandatis, iudicium sibi parat ultionis, undè *Clemens Pontifex hujus nominis primus in Epistola 3. de officio Sacerdotis sub initio* ait (*Vestrum est*) idest Episcoporum (*quia legatione domini fungimini, docere populos, eorum verò est vobis obedire, ut Deo, si autem vobis Episcopis non obdierint Præbiteri Diaconi, ac Subdiaconi, & reliqui Clerici, omnesque Principes, tam majoris ordinis, quam inferioris, non solum infames, sed & extorres à regno Dei, & consortio fidelium, ac à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt*), & idem *Clemens in fine primæ Epistolæ ad Jacobum fratrem domini* ait (*hæc ergo præcepta nemo credat absque sui periculo negligere, vel dissimulare, quia in iudicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui ecclesiastica decreta neglexerit.*

29 Præ omnibus autem tenet illud *Hyemie c. 48. Maledictus omnis, qui opus Domini negligenter agit, & illud Mathei 22.* ubi invitati ad nuptias, eo quia neglexerunt venire, permissum est, ut gravissimum crimen homicidii patrarent, dum contumeliis affectos servos reges, ingratiissimi occiderunt, in quorum pœnam Rex missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit, tot crimina, tot pœnæ, tanta rerum devastatio ex negligentia traxit exordium.

30 Quanta autem diligentia, & solertia necessaria sit Virginitibus ad custodiendum præciosissimum Virginitatis thesaurum, explicavit *D. Gregor. homil. 11. in Evangelia scribens* (*deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via*) non est negligendus thesaurus, nec

in publico exponendus, ita & Virginitas, custodiam autem docet *D. Ambrosius in c. 1. Lucae. Trepidare Virginitas est, & ad omnes viri ingressus pavere, omnes viri affatus vereri, disce Virginitatem moribus, disce verecundia*; Hinc quam imprudenter, quam culpabiliter agant, qui virginem statuunt in publico, choreis interesse concedunt, hoc enim est thesauri custodiam negligere, exponere deprædationi.

31 Virginitas describitur à Sanctis Patribus (*in corruptionis perpetuæ meditatio*) quia si desit perpetuitas in custodia, in meditatione, in solertia, de facili labitur ad corruptionem, potissimum, quia non solum carnali complexu deperditur, sed & desiderio, & affectu, considerata Virginitate pro ut virtus est, deplorabat enim Joannes Damascenus profusis lacrimis tantam jacturam dicens (*Mulierem non tetigi, & tamen Virgo non sum.*)

32 Meditare atrociores, quos passæ sunt, cruciatus Lucia, Cæcilia, Catherina, Agnes &c. quam diù, noctuque incessanter orationibus infudarent, tot Sanctissimæ Virgines, quam à Virorum colloquiis, aspectibus aborere, ut Virginitatis tutarent aurum, virtutis fervarent preciositatem, non enim sine ingenti labore pretiosiora tutantur, ubi undequaque inumeris artibus, insidiis, & deceptionibus circumeunt prædones, magna ergo diligentia custodienda est Virginitas, quæ semel amissa irrecuperabiliter inutilibus defleatur ejulatus.

33 *Lodovicus Blosius c. 6. monit. Spirit.* refert, quod anima cujusdam defuncti cuidam Dei amico, in flama ardoris immensi apprensus, dixit, ea sola de causa, tam diris cruciatibus torqueri, quod circa dominici corporis perceptionem fuisset negligentior, & refertur in *Theatro vitæ humanæ sub V. Eucharistia.*

34 Nec omittenda est negligentia in repellendis motibus sensitivis de rebus venereis, quæ transit in morosam delectationem, & mortale peccatum est, diciturque morosa ex mora non temporis, sed negligentia in ea repellenda, post sufficientem advertentiam, quia talis negligentia provenit ex delectatione, & complacentia, quam percipit, qui negligit motum cohibere, & contravenire, & tunc intervenit consensus permissivus saltem, & interpretativus, etiam si desit positivus, & formalis, verum quando homo patitur tales motus, & se habet merè negative, idest neque consentit, neque dissentit, an sit mortale, vel ve-

niale peccatum, dissentiant Doctores allegati à *Diana p. 2. tract. 17. resol. 33.*, Vide artic. 25. huius primæ partis.

35 Quod autem negligentia sit grande malum, colligas ex eo, quod multoties, vel est effectus, vel poena majorum scelerum, ex quo enim quis plures, & magnas patravit culpas, Deus in poenam sinit in posterum bona negligere, & contemnere, atque sine ulla consideratione, immò cum contemptu universa mala patrare, *Proverb. c. 8. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, & Proverb. c. 10. Quasi per risum stultus operatur scelus.*

36 Quod innvit etiam Regius psaltes, *psal. 80. Non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi (ecce negligentia, quid sequitur) dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventibus suis, sic negligentia parit peccatum, peccatum parit negligentiam.*

37 Accedit, quod negligentia pluries in facris scripturis, cordis duritia appellatur, *Exodi. c. 7. Induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum. Psal. 74. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, cui negligentia extremum aliud malum sequitur, Ecclesiastic. c. 3. Cor durum malè habebit in novissimo.*

38 Diximus, quod otium, Pigritia, & Accidia sunt species negligentia, certum est autem ex eis multa prognerari mala, maxime in moralibus, Otiositas enim mater nugarum, & noverca virtutum, describitur à *D. Bernardo lib. 2. de considerat. ad finem, ex Polibio, quod sit fons, & origo seditionum omnium, nam multam malitiam docuit Otiositas Eccles. 33. vers. 29. nam sicut aqua, quæ non decurrit, neque impulsu ventorum movetur, putrescit in fovea, ita & Corpus Otio tabescit, & animus concupiscentiis, & voluptatibus computrescit otiano.*

39 Ingressus est locum nuptiarum piger, & negligens homo quidam, qui nuptialem vestem brevi, & minimo labore assumendam induere neglexit omnino, *Mathei 22. idè ligatis manibus, & pedibus, Domini imperio, mittitur in tenebras exteriores, quæ pœnæ benè respondent negligentia delicto, dum manus, & pedes ex ignavia operi non aplicuit, ut assumeret vestem nuptialem, oculos pariter non elevavit ad circumstantium aspectum, quorum obtutu propria redarguebatur pigritia.*

40 Jonas dum otiatur, & obdormiscit in fun-

fundo navis, ventorum vi impellitur, undè fremit tempestas timore exitii perhorrescunt nautæ, omnibus in summo discrimine positus, sorte data, piger, & ignavus propheta in mare proicitur, & sepelitur in ventre Ceti; Petrus in monte Tabor videns Christi faciem tanto lumine splendentem, nivei candoris vestimenta condecorata, exclamat, *bonum est nos hic esse*, petiitque ibi manere, attamen de eo legimus *Mathei 9.*, & *Lucæ 9. nesciebat quid diceret*, cur tanta notatur incititia, nisi quia otiari exoptaret, ubi à Magistro præaptabatur ad labores, quam incititiæ notam inussit pariter Christus duobus filiis Zebedei *Mat. 20. dum sedere, quod est otiari peterent, quando in evangelica prædicatione multum erat infudandum.*

41 *Cornelius a Lapide in Epistol. D. Pauli ad Hebreos c. 5. in Vers. (quoniam imbecilles facti estis ad audiendum)* Notat, defectum Anglorum à veritate fidei Christi incepisse à negligentia officii, & disciplinæ hominis Christiani, nec respexerunt fortissimorum martirum exempla.

42 Quod plerique hominum negligunt est, Quod non curant dirigere omnes actiones suas in Deum, tamquam ultimum finem; certum enim est, quod Deus cuncta creavit per hominem, & hunc per se tamquam ultimum finem, qui idè potest dici finis naturalis hominis, licet non naturaliter assequendum, sed supernaturaliter, ex quo *Greg. Nazianz. orat. 35. ait, omnis natura rationis particeps Deum,*

*ac principem illam causam appetit, sed deficit viribus; legimus autem cap. 1. Genesis, Deum creasse hominem ad Immaginem, & Similitudinem suam, & licet dicere ad Immaginem non sit ac Imago, sed importat quid diminutum, semper tamen verificari debet, quod Imago, etiam secundum esse diminutum semper habeat representare suum prototipon naturaliter, & ad illud semper referri, idèque homo semper appetit Deum cognoscere, Deum consequi, licet solis naturæ viribus hoc non possit per tanti finis excellentiam, ex hoc *D. Greg. exclamabat, tunc satabor, cum apparverit gloria tua, & D. Aug. lib. 1. confes. cap. 1. suspirans aiebat (fecisti nos domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.**

Deficit ergo à recto, qui negligit dirigere omnes suas actiones, & desideria ad Deum, neque actio aliter potest esse moraliter bona, licet in ordine naturæ apareat bona, quapropter *Lucæ 18. Phariseus qui bona sua opera commemorat, non recessit Justificatus, quia ea non direxerat ad Deum tamquam ad ultimum finem, ita & opera Infidelium, licet videantur bona, ut Orationes, & Jejunia, eleemosinæ, ac similia, in genere moris nullius meriti sunt, ad Deum assequendum, quia deficiente fide, ad Deum non diriguntur, sed eorum bonitas fit in solo ordine naturæ, nec altioris ordinis præmium merentur.*

## ARTICULUS XXI.

## An, &amp; quando negligentia sit purgabilis.

**M**ateria hujus articuli brocardica appellatur à *Tusco littera M. concl. 377.*, & de ea militant omnia, quæ de purganda mora scripserunt D.D., nam negligentia, aut moram involuit, aut ab ea sequitur, tamquam à matre partus progenitus; undè sicut purgatio moræ dicitur purgabilis, & inventa ad sustinendos actus, & contractus, ac propterea sequatur regula, *quod omnis interpretatio summat ad sustinendum contractum, ad allegata per Cephal. consil. 25. num. 43. lib. primo, Cocin. decis. 1088. num. 25.*

ita pariter purgatio negligentia favorabilis dicenda est, & latiori modo, quo fieri potest admittenda, notando insuper, quod debitor, non dicitur purgare moram, & negligentiam per solam oblationem verbalem rei debita, sed requiritur oblatio realis, ut dixit *Rota coram Cerro decis. 235. num. 13.*, limitationes tamen vide de debitore negligente. Notando pariter, quod licet tex. in l. magnam C. de committenda, & contrahen. stipulat. dicat, quod debitor, qui promissit certo die, & loco solvere debita sub poena, absque ulla mentione, si non solverit tempore à se constituto,